

JACOBVM APOSTOLVM
 SVPER
 MORTE SALVATORIS
 NOSTRI
 MOERENTEM

METRO INDVCIT SAPPHIÇO
 C. L. BÖTTICHER.

Palæo-Sedini, die 4. Aprilis 1765.

Ohe! perculsus pavido timore
 vix pedes ultra moveo trahoque,
 palpitat pectus rigidum, subinde
 membra vacillant.

Quid meum mitem Dominum reliqui?
 nocte perceptum manibus latronum
 machinas et per, per et arma furtim
 lurida captum.

Cur meum liqui fugiens Magistrum?
 cur capi tecum metui? Benigne!
 ferre cur tecum timui catenas
 vinclaque dura?

Quum nefandorum chorus appropinquans
 scanderet montes olei feraces,
 iret accensis facibus coruscis
 noctis in umbra,

Horridus contis, gladiis, farissis,
 Tu preces flexis genibus, Magister!
 fundis ardentes, cecidere guttæ
 sanguine mixtæ.

A

Angelus

Angelus quidam facer ex Olympo
visus abstergens fluidas per ora
guttulas, vires recreat labantes
fortiter adstans.

Nos sopor dulcis tremulos premebat
anxios curis nimis, excitatos
bis ter urgebat sopor altus, atque
lumina clausit.

Impius cœtus ligat innocentem
Temet, ac ingens furibunda turma
monte descendens medium perosam
ducit ad urbem.

Nos velut quondam pavidæ columbæ
vulturis visu truce dissipamur,
ut leonino fugiunt rugitu
pastor ovesque.

Cuncta prævidit, memini, magister,
quin in extremis et abhinc diebus
debiles nos fortiter imbuebat
vocibus et re.

Noster O Rabbi! svavis! O Benigne!
furge: clamabas, tibi dico! surgit
luctuoso Lazarus e sepulchro,
vivus et exit.

Hoc ut exemplo doceamur, etsi
ob Tui causam nece plecteremur,
posse Te nobis iterum beatam
reddere vitam.

Multa non audita prius monebas
de tui Patris tenero favore,
nos in æternum quod amare dolci
pergat amore.

Tuque quod nostri violenter ipse
ardeas æstu, magis ac tenellos
in sinu pastor fovet aggravatos
portat et agnos,

Quod-

Quodque dilecti sine fine sumus,
Te lupos sævos cohibere velle,
ac tuam dulcem, grege pro fideli,
ponere vitam.

Hisce firmabas pie Christe nostra
corda, constantes fieri volebas
nos in ærumnæ tumidis procellis
mortis et hora.

Ast capi quum Te miserè videmus,
quò repentina ruimus fuga? quo
dissipatorum fugit hic et ille?
ipsemet et quo?

Arguo languens dubii timoris
memet et vos, vos alios trementes
qui sub acclivis pede tunc relictis
montis eratis.

Reliquas noctis vigilans per horas
monte decurrens citus ambulavi
vulgus averfans hominum, per agros
atque per hortos,

Meque subducens hominum loquelis,
limus adspexi miser obviantes,
devius flexi, caperer ne, gressus,
quemlibet horrens.

Urbis intravi querulus plateas,
non loquuturus, sed enim loquentes
audiens, hic quid, quid et ille forsàn
dicere tentet.

Numquid ex ipsis mihi transeunti
accidat dictum, taciturnus ibo,
hauriam voces, avida notabo
auris ~~ore~~ sonoras.

Exitum faustum Deus! exhibebis,
liberum reddas precor O! magistrum,
nosque turbatos ad eum repente
ducito pullos.

Jamque sol cœli medium reliquit,
ad plagam vergit celer occidentem.
Ast ibi quosdam video citatum
flectere cursum.

Porta qua ducit vetus, atque pridem
omnibus quæ judicialis audit,
extra quam sævus locus usitatus
suppliciorum est.

Muffitant secum cruce de maligna,
hei mihi! vocem crucis apprehendo
altera vere vice. Sed quid inquam?
quidque morabor?

Ibo, sed ne miscear undecunque
noscar aut ulli, bene sit cavendum,
tam tremo demens, animi pusilli,
irrequietus.

Per, Genath, portam tacitus meabo,
hortus et Regum procul ambiendus,
atque per vallem cinerum patentem
tutior ibo.

Quale portentum! pereo! tenebræ
mene circum fundere proh! videntur?
sol ubi? cœca subeunte nocte,
implicor umbris.

Numen o summum miserere nostri!
in chaos coelum ruit atque terra,
vel Deus sane moritur, pati vel
autumo certe.

Lassus inclino mea membra terræ,
hac in obscura residebo valle,
me meæ fortis piget, impigerque
oppeto mortem.

Ast relucescit, fugiunt tenebræ,
sol et apparet nitidus per orbem,
quid moror? surgens duplicabo gressus,
pergere tento.

Nec

Filium videre mori quis unquam
legibus matrem vetat? aut honores
ultimos ipsi debitos libenter
reddere posse?

Ecquod imbelles effugium? quod autem
inde solamen vacuum? color quis?
turpe quo nostrum scelus ac timorem
demere velim.

Non latet IESUM; mea me momordit
consciens hæc mens, subigitque semper
fecerim quid, quid male perpetrarim
arguor ipse.

Væ mihi! nocti! populoque diro!
væ tibi Clero! Procerumque sacro
ordini! Doctoribus! ultimisque
væ tibi monti!

Qui crucem portas Domini, cruorem
atque profusum sitiens bibisti,
te execror valde, pereas, macrescas,
et facer esto!

Jamne clamantem vehemente voce
audio Christum? tua vox IESU!
nunc et inclinas scapulæ sinistrae
molliter ora.

Sicne Salvator moreris? nihil tu
innocens unquam male perpetrasti,
promptus, infido grege pro, salubrem
mittere vitam.

Victimam Tete pius obtulisti,
pro reis iustus patitur Redemptor.
ast quid? a terra moveor, quid istud?
vix teneo me.

Terra percrebro quatitur fragore,
totus horrendum tremit orbis. O me
protegas mitis Deus! heu videtur
hiscere terra.

Viva

Visa naturæ facies labare,
dant plagæ signum superæ, tremenda
inferæ portenta ferunt minatur
terra polusque.

Nescio quo nunc stupefactus errem,
sensuum passus mala tot fatigor.
Ecce supremo venit improbus quis
miles, et hasta,

Perfodit Christi latus, hem! sinistrum,
ferrea frangunt alii sequentes
lance suffixis miseris utrinque
crura feroces.

Occidis JESU pie! criminosos
nos reos plene pater expiatis
suscipit, pendis rutilo perenne
sanguine lytrum.

Commori Tecum liceat Redemptor!
me pudet vitam sine te diurnam
ducere, et porro pudet elevare
lumina sursum,

Occuli dignus pavidis ab umbris
noctis æternæ. Precor O Magister!
nonne Te servi miseret? vocantem
cœlitus audi.

Teque Messiam profitebor esse,
et tuum verbum populos docebo,
et tuum nomen volo propalare
solis ad ortum.

Me nec horrendæ teneant catenæ,
me nec avertat gladius nec ignis
nec, quater vel si morerer maligna
morte recedam.

Tu, precor, mentem stabilito nostram,
et nec immanes fugiam leones,
nec trucem vultum rigidi tyranni
dira minantis.

Ora

Ora profusis lacrymis madescunt,
angitur pressi subito dolore
intimum cordis, querulus recedam
nescio quorsum.

Totus armatae legionis ordo
ecce damnosam repetivit urbem,
pars et abscessit simul innocentis
maxima plebis.

Pallidum corpus Domini videbo,
pallidas malas pius osculabor,
applicabuntur suavibus dolentis
oribus ora.

Vulnerum cernam fluidum cruorem,
et cicatrices manuum pedumque,
atque inundabo lacrymis obortis
livida membra.

Passè pro nobis, subiensque mortem
sacrae in altari crucis immolate
Christe! visurus propius palam Te
promptus adibo.



Typis LEICHIANIS.